

» seu collegium, quovis quaesito colore ab ordinationibus, senten-
 » tiis seu mandatis quibuscumque suis ac successorum suorum
 » appellationem hujusmodi interponere auderet et contrafacientes
 » una cum fautoribus suis et consilium auxiliumve praestantibus
 » (sive hi tabelliones essent, sive testes, sive advocati, sive alii
 » quicumque) non solum poenis et censuris praedictis, sed etiam
 » iis quae laesae majestatis et haereticae pravitatis reis imponun-
 » tur, obnoxius esse statuerit : Leonardus tamen Lauredanus dux,
 » rogati, ac generale consilium et commune Venetiarum, omnes-
 » que et singuli patritii et cives communis ejusdem, una cum pro-
 » visoribus, potestatibus, commissariis et reliquis officialibus suis
 » (quorum auctoritate, industria, consilio, opera aut favore, civi-
 » tates, oppida, castra et arces, ad nos et sanctam Romanam ec-
 » clesiam legitime pertinentes, occupatae fuerant aut detineban-
 » tur) de fratrum nostrorum consilio a nobis requisiti et moniti,
 » ut intra certum terminum, sub poenis tunc expressis, nos et san-
 » ctam apostolicam sedem plene et ex omni parte in concessa sibi
 » auctoritate et libertate cum obedientia recognoscerent et redin-
 » tegrarent, ac Ravennam, Cerviam, Ariminum, Faventiam, Sar-
 » sinam civitates, cum oppidis, castris, terris et districtu ipsarum,
 » cum Caesenatensi, Forliviensi ac Imolensi territoriis, castris,
 » oppidis, terris et locis quae occupabant, integre et expedite no-
 » bis et dictae Romanae ecclesiae cujus juris esse noscebantur,
 » relaxarent, atque inde recederent, nec impedirent quominus
 » illorum cives et habitatores ad piae matris suae Romanae ec-
 » clesiae obedientiam reverterentur, omnes eorum fautores ab au-
 » xilii in talibus praestatione deterrendo ; ita quod requisitioni,
 » monitioni et mandato nostro hujusmodi non parentes, majoris
 » excommunicationis sententia de simili consilio eo ipso innodati
 » censerentur, a qua praeterquam in mortis articulo constituti,
 » per alium quam per Romanum pontificem, etiam praetextu cu-
 » juscumque facultatis cuicumque pro tempore concessae, absolvi
 » non possent (quam quidem excommunicationis sententiam in